

I. Quicumque sibi iure debitum pro amore Christi relaxat servitium, illud sibi in eterna patria ab ipso domino promereri¹ confidat, qui dicit: dimittite et dimitetur² vobis³. Quocirca ego ill. et filius meus notum esse volumus omnibus successoribus nostris nostrorumque⁴ parentibus vel heredibus, quoniam placuit nobis pro amore omnipotentis Dei et remissione nostrorum criminum quendam servum nomine ill. ab omni vinculo servitutis absolvere et liberum facere, ita ut deinceps bene ingenuus possit existere et nulli debeat aliquid⁵ servitium nec libertatis obsequium, nisi soli Deo omnipotenti, cui omnia subiecta sunt. Si vero fuerit aliquis de parentibus vel heredibus nostris seu aliqua intromissa persona, que huius nostre elemosine libertatem repetere aut etiam infringere temptaverit, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat et quod receperit non evindictet, set cui litem intulerit argenti solidos C coactus exolvat, et sua repetitio nullum effectum habeat, set hec libertas, nostris aliorumque manibus virorum corroborata, firma et stabilis semper et ubique permaneat.

II. Compertum est omnibus, quia in inicio creaturarum Dominus celum et terram creavit⁶, hominem ad imaginem suam condidit⁷, quia ipse dixit: 'Relinquet homo patrem et matrem et aderebit uxori sue, ut sint duo in carne una'⁸; insuper Dominus in ewangelio: 'Que Deus coniunxit⁹, homo non separet'¹⁰. Talibus igitur hac¹⁰ tantis auctoritatibus munitus, ego ill. in Dei nomine huic karissimę sponse meae ill. per voluntatem Dei et per voluntatem parentum et amicorum nostrorum coniungere² volo. Consuetudo namque expostulat atque lex precepit, ut sponsus sponsam de suis rebus dotare debeat. Idcirco dono tibi amantissimę sponse meę² ill. per huius seriem dotalitii partem rerum mearum, hoc est: —. Si autem fuerit deinceps de heredibus aut parentibus meis, qui contra hanc dotem venire temptaverit, quod repetit non vindictet, et contra quem litem intulerit, libras V auri coactus exsolvat, et sua repetitio nullum effectum obtineat, et insuper hec dos meis aliorumque bonorum virorum manibus firma et inviolabilis ubique permaneat.

309. membr. c. 1075. Aus Vendôme. f. 111. Jahresreihe von 152 v. Chr. bis 1421 n. Chr. Historische Nachrichten von 734—1075 meist auf das monasterium S. Trini-

1) Corr. aus 'promerere' Hs.

2) So Hs.

3) Luc. 6, 37.

4) Corr. von späterer Hand in 'nostrisque'.

5) Gen. 1, 1.

6) Gen. 1, 27.

7) Gen. 2, 24.

8) Corr. in 'coniunxit' Hs.

9) Matth. 19, 6; Marc. 10, 9.

10) Corr. von derselben Hand in 'et' Hs.